Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31247
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



19

tui Quid enim si mea bona mea euanuerunt Nunquid
ingratus ero illi per quem michi tanta bona gratis
euenerunt Absit ne addam hanc iniquitatem.
Imo gracias ago quia habui doleo quia non habeo
oro ut habeam Certus enim sum quia sicut per filij
tui gratiam ea potui accipere sic eadem per matris sue merita
possum reaccipere Ergo domina celi porta uite ianua
salutis via reconciliacionis aditus recuperacionis.
Obsecro per saluatricem fecunditatem tuam Fac ut
peccatorum meorum michi uenia concedatur et iuste
viuendi benigna gratia conferatur et usque in finem
hic seruus tuus sub tua protectione custodiatur Amen.

Aula uniuersalis pietatis causa
generalis reconciliacionis vas et
templum uite et salutis uniuerso
rum maria Tu namque domina
admirabilis singulari virginita
te Amabilis salutari fecundi
tate Venerabilis inestimabili
sanctitate Tu ostendisti mundo
dominum suum et deum suum quem nesciebat Tu
uisibilem exhibuisti mundo creatorem suum quem
prius non uidebat Tu genuisti mundo reconcilia
torem quem reus non habebat Plenitudinem eum
glorie et gracie tue et que in inferno erant se letatur
liberata et que supra mundum sunt se gaudeant
restaurata Peundem quippe gloriosum filium gloriose
virginitatis tue et omnes iusti qui obediunt exul
tant dirrupcione captiuitatis sue et angeli gra
tulantur restauracione Benedictus dominus
deus in eternum fiat fiat Amen Amen

Finiuntur oraciones de beata virgine maria.